




PALAEASTRA LATINA



S U M M A R I U M

- DE RECTA LINGUA LATINA PRONUNCIATIONE
(E. Jové)
BEATAE MARIAE VIRGINI DE PERPETUO SUC-
CURSU, (R. Fernández).
RAPHAEL POMBO, (C. Mesa Gómez).
CURSUS GYMNASTICUS, (H. Martija).
HYMNUS SANCTORUM, (Santolius).
NOVA ET VETERA, (E. Jové)
CONLOQUIUM IN SCHOLA.
EPISTULARUM COMMERCIO.
PER ORBEM, (J. M. Jiménez.)
BIBLIOGRAPHIA, (H. Martija, A. Marqués,
J. Mir).
Q. HORATII FLACCI, ODA, in operculis.
EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.
COMPOSITIONES VERTENDAE in operculis

Ordinarii atque Superiorum permisso

Q. Horatii Flacci

ODA I. II, 10

Hispane reddita

AD LICINIUM

Rectius vives, Lícini, neque altum Semper urgendo neque, dum procellas Cautus horrescis, nimium premendo Litus iniqum.	Sperat infestis, metuit secundis Alteram sortem bene praeparatum Pectus. Informes hiemes reducit Juppiter, idem
Auream quisquis mediocritatem Diligit, tutus caret obsoleti Sordibus tecti, caret invidenda Sobrius aula.	Submovet. Non, si male nunc, et olim Sic erit: quondam cithara tacetem Suscitat Musam neque semper arcum Tendit Apollo.
Saepius ventis agitatur ingens Pinus et celsae graviore casu Decidunt turres feriuntque summos Fulgura montes.	Rebus angustis animosus atque Fortis adpare: sapienter idem Contrahes vento nimium secundo Turgida vela.

*Quieres, Licinio, ser feliz? No lances
Siempre tu nave en alta mar; ni huyendo
Timido el viento, únicamente sigas
 La áspera costa.
De oro es, a fe, la condición mediana
Do ni se envidia del palacio el lujo,
Ni hay techo viejo que criboso amague
 Súbito hundirse.
Trábase más con el ingente pino
Rudo aquilón y con mayor estruendo
Caen las torres y en las altas cumbres
 Cébase el rayo.
Siempre aguardar los prevenidos saben
Dicha en desgracia, contratiempo en dicha;
Júpiter manda el hosco invierno y luego
 Quítalo el mismo.
Si hoy sopla el mal, con su violencia pasa,
Su arco no siempre está tendiendo Apolo,
Que en ocasiones despertó a la musa
 Cítara en mano.
Cuando te embista el huracán resuelto
Müestrate firme; mas la henchida lona
Cuerdo recoge al advertir que abunda
 Próspera brisa.*

RAFAEL POMBO



PALAEESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España,

De recta linguae Latinae pronuntiatione⁽¹⁾

Substantialem quaerimus pronuntiationis unitatem. –

Animadvertisendum etiam ducimus hic tantum nos acturos de substantiali litterarum pronuntiatione, non de illis mixtis sonis quos vel in linguis recentibus invenias, eosque varios non solum in unaquaque gente, sed in unoquoque homine. Et si certum quidquam de illis accidentibus deducere posses, id imponere omnibus viris vel sapientibus nequires, qui semper pro uniuscujusque solo, unde ortum habuerint, peculiares servabant modos accidentales in substantiali una atque eadem pronuntiatione. Litterae *a* i certum retinent sonum, a quo si parum deficiant, jam non sunt tales litterae. Contra autem *e* et *o* et *u* campum habent ampliorem: *e* accedit varie ad *a* et *i* et *o* neque ideo *e* esse desinit: *o* etiam saepe accedit ad *e*, *u*. Dum igitur *e* et *o* et *u* intra suum ipsarum campum procedant, quis laboret hanc vel illam modalitatem ab viris omnibus cuiusque gentis exquirere, cum hoc nec in linguis recentibus ab suis quisque civibus exigere valeat? Campum vero earum tandem definierunt grammatici et magni scriptores qui ab Augusto ad Trajanum extiterunt.⁽²⁾ Quod de vocalibus diximus id habeto, lector humanissime, etiam de consonantibus, quae eatenus substantialiter pronuntiabuntur, quatenus sonitu in aliam non transeant, quae nomen aliud sortiantur.

Hic nihil de accentu. – Haud videtur dubitandum duplarem fuisse apud Romanos diversis saltem temporibus accentum, alium altitudinis qui aurea aetate fuerit in usu, alium intensitatis qui post aetatem argenteam locum illius universim obtinuerit. Hunc cognos-

(1) Cfr. num. sup. p. 1. – (2) Cfr. *Le Grec et le Latin* par l'abbé Cliquennois, num. 67.

cimus et regulis certis statuinus in arte prosodica, alterum nec cognoscimus nec ideo ad eum urgendum possumus adduci. Fuerunt tamen qui aut accentum instaurari voluerunt, aut nihil de classica pronuntiatione loqui. Sed rem adeo vehementer agendam non censemus. Qui summum attingere nequeat, ne corruat in imum.

Pronuntiatio classica cognosci potest. — Quibus est satis molestum consuetudines mutare, eas maxime quae a primis unguiculis ductae sunt. ante omnia hanc objiciunt, quam sibi fingunt, difficultatem: Ea pronuntiatio fieri non potest ut cognoscatur. O commodum in vitiis dormientium pulvinar! Sed quas vigilias in litteris Latinis putatis eos impendisse qui hoc offendiculo initio jam itineris praepediuntur? Nullas profecto. Ego autem oculis tam leviter loquentium nomina offundam innumera scriptorum qui conclusiones haud dubias post diligentissimas investigationes deprompserunt, nedum id studii infructuosum putarent.⁽¹⁾

Vera linguae Latinae pronuntiatio profecto cognita est.

— Omnes philologi conveniunt in adserendo inter nationales, quas vocant, pronuntiations nullam sibi classicae pronuntiationis nomine posse gloriari; classicam autem pronuntiationem constare ex testimoniis frequentissimis et gravibus, eamque hoc habere p[ro]ae ceteris, quod melius manifestet non solum phoneticam Latinitatis antiquae constitutionem, sed etiam transitum ejusdem ad linguas Romanicas.

(1) Juvat hic transcribere plagulam integrum quam J. Marouzeau vir clarissimus habet in opusculo «La Prononciation du Latin», «Cette pratique d'une prononciation qui n'est ni antique, ni moderne, ni traditionnelle, a pu se maintenir tant que les latinistes ont été ignorants des questions de phonétique et insoucieux de ce que peut être la vie d'une langue. Mais l'avènement de la linguistique au XIX siècle, et en particulier la constitution de la grammaire comparée des langues romanes firent peu à peu apercevoir l'inconséquence qu'il y avait à prononcer le latin préciélement comme on sait qu'il ne l'a jamais été. Le premiers scrupules vinrent de savants qui étaient à la fois linguistes et philologues: Gaston Paris, Louis Havet, Victor Henry, Michel Bréal. Ils avaient pour étayer leurs théories, les matériaux accumulés par les grammairiens des dernières décades du siècle, soit latinistes: W. Corsen, W. M. Lindsay, E. Seelmann, H. Schuchardt, F. Ritschl; soit romanistes: F. Dix, W. Meyer Lübke, E. Boncziez. Dès 1870, on voit se succéder des ouvrages et des articles consacrés spécialement à la prononciation: en Allemagne, W. Corsen («Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache», 1863), F. Ritschl («Unsere heutige Aussprache des Lateins, Rheinisches Museum», 1876), R. Bouterwek et A. Tegge («Die altsprachliche Orthoepie und die Praxis», 1878), E. Seelmann (Die Aussprache des Lateins», 1885), H. Breuer («Ueber die Aussprache des Lateinischen»).

1903), M. Schlossarek («Die schulpraktische Bedeutung der richtigen Aussprache des klassischen Lateins», 1914); en Angleterre, A. et R. Ellis («Practical hints on the pronunciation of latin», 1874, et «The pronunciation of latin», 1902); en France, G. Edou («Écriture et prononciation du latin», 1882), et une longue série d'articles et d'opuscules de science ou de propagande: de A. Bos («Petit traité de prononciation latine», 1893), A. Sécheresse («Traité élémentaire de prononciation latine», 1903), C. Couillault («La réforme de la prononciation latine», 1910), A. Macé («La prononciation du latin», 1911), H. Brémenson («Guide théorique et pratique de la prononciation du latin», 1913), R. Waltz («Manuel élémentaire et pratique de la prononciation du latin», 1913), nombreux articles de A. Macé («Bulletin du Comité des travaux historiques», 1892; «Discours de rentrée des facultés de l'Université de Rennes», 1901; «Atti del Congresso intern. di scienze storiche», Rome, 1903; «Annales de Bretagne», 1901; «Revue des Cours et Conférences», 1913; A. Hamel («Introduction à l'étude de la langue latine, Prononciation, etc.», 1907; «L'enseignement secondaire», 1909, 1910, 1911), A. Sécheresse («Revue Universitaire», 1902, 1903), J. Meunier («Revue du Nivernais», 1903; «Discours de distribution des prix à Nevers», 1908*), T. Suran («Revue Universitaire», 1911), L. Clédat («Revue internationale de l'enseignement», 1912).»

Fontes unde pronuntiationis notitiam habemus.—Primus fons quem nemo agnoscere dignabitur traditio est communis omnium Latinae originis populorum, aliquas litteras non interrupto saeculorum tractu eodem modo pronuntiantum. Sic plerasque novimus litteras de quibus nulla exorta est disputatio. Inde convenit apud omnes tradita pronuntiatio sequentium elementorum, quantum attinet, ut antea diximus, ad sonum litterae substantialem: a, b, d, e, f, i, (voc.) k, l, m, n, o, p, r, x. Quindecim enim sunt litterae de quibus nullus ambigit non modo philologus, sed neque vulgaris homo.

Alter fons qui notitiam tradit plenissimam de litterarum pronuntiatione sunt grammatici veteres quos omnes in unum opus digessit septem voluminum Henricus Keil, vir eximiae eruditiois qui adjutorem tanti operis nostra memoria habuit, supplementario adjecto volumine, Hermannum Hagen.

Tertius fons ad cognoscendam litterarum Latinarum pronuntiationem maxime utilis sunt transcriptiones vocum Latinarum alphabeto Graeco quarum transcriptionum ubique sexcenta inveneris specimina.

Quartus fons unde saepe eruitur quomodo talis qualis littera fuerit pronuntiata sunt variae dictionum rhetoricae figurae quibus veteres utebantur ut jocos definitos perficerent.

Quintus fons nec aspernabilis est communis hominum in litteris clarissimorum consensus, tum tempore renatus, tum nostra memoria.

Sextus fons sunt poëtae qui necessitate metrica quaedam præbent quae vel bene prouncties val rythmum pervertas.

Septimus fons invenitur in verbis quae recentes linguae ex veteri sermone Latino mutuatae sunt atque ex peculiaribus adjunctis variationes aliarum vocum non sunt expertae.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(seguar)

Ad negandum ac se excusandum

Minime; fieri nequit.
Huic rei non possum adsentiri.
Id ad me non pertinet.
Doleo sumnopere tibi negare quod optas.
Ignoce, obsecro; feci quod potui.
Id a me est alienum.
Hujus rei culpam in me ne conferas.
Pro certo habe me non esse in culpa.
In aliud tempus erit.

Ad adserendum

Nihil hoc certius.
Tibi argumenta præbebo.
Tibi verum esse dejero.
Verba mea honore obligo.
Tibi id verum esse ajo.
Id autem certum est.
Id tibi persuasum habe.
Potes mihi credere.
Certus sum.

BEATAE MARIAE VIRGINI DE PERPETUO SUCCURSU

*Anno feliciter exacto, a Congregatione
Sanctissimi Redemptoris condita,
bis centesimo.*

*Incolume Alphonsi bis centum claruit annos
Dulce Sodalicium.
Sanctorum suboles! Sibi eam legit Ipse Redemptor,
Et—deamata! —sacrum
Quem Christus finem complevit, complet eundem.
Alma Paren: Locuples
Quae referetur pro meritis Tibi gratia tantis?
Prospera namque Tibi,
Quae nobis sunt a Domino concessa, tributa
Omnia! Legiferi
Tu quippe Alfonsi, qualis solita Ipsa videri
Caelicolis, radians
Enituisti oculis, tenera pietate sacratis,
Auxiliumque tuum,
Quod totiens licuit nobis, sentire, benigna,
Magnificum adsidue
Laturam, adseruisti. Dum ergo saecula nobis
Praeterisse duo
Laetamur, memores humili de pectore grates
Dum Tibi nunc alaces
Reddimus Alphonsi fili, praesentior adsis:
Tollimus en oculos.
Tendimus ecce manus, insane quippe minatur
Jam Crucis impatiens
Hostis atrox, cuius nullum nos vidimus unquam
Consimilem! Alma Paren,
Filiolos SUCCURSU, ut quaeque pericula vincant,
Protege PERPETUO!*

Rogerius M.^a FERNANDEZ, C. SS. R.

Spini, 29-IX-1933.

Raphael Pombo

Pombo, clarissimum vatem tam propriis quam ex aliis idiomatibus versis carminibus, diei natalis centenaria festivitate exeunte, summis latisque laudibus optimam extollendum. Nos vero de ejus *natura et moribus*, de claro ingenio et amore in Camoenas quidquam meminisse volumus.

Natus est Bogotae claro genere tertio Non. Nov. anno 1833. A teneris unguiculis magno fuit ingenio ac puro corde. Adulescentiam in conlegiis proprio studio decrevit exigendam, ibique poëticum ingenium in promtu coepit habere. Plurimum adlaboravit sese doctissime erudire non in litteris Graecis tantum ac Latinis, verum etiam in hodiernis.

Ea tempestate apud nostre nobili, praesertim studio literarum, multi viri, Caro potissimum et Pombo inter plures fulsere, quibus ingenium extitit eximium. Ille carmine classico, hic Romantico; ille priscorum, hic recentium imitatione et sequela laudabatur, ambo vero «et cantare pares et respondere parati». Peculiaris primi laus quod Aeneidis Vergiliana translatio ad vernaculam nostram linguam, optima inter Hispanicas ab illustri Menéndez Pelayo reputetur; fuit vero alterius quod Venusinae interpretationes ad nostrum idioma fortis audacioresque ejusdem Menéndez testimonio sint, cui non parum fructus pertingere videbatur quod occasionem Pombo praebuisse illo operè «Horacio en España» ut et ipse poëta Columbianus simile opus conscriberet.

Pombo pueris affectus, non invita inspiratione flammea qua semper carmina divinitus imbuebat, genus fabularum coluit, ibique cernas non solum Phaedri nec tantum pecus Aesopi, verum etiam pecora quae in silvis Americanorum Fauni parvulantur. Praeterea rusticorum cantus modulationem imitando sequebatur, utcumque afflamine animique sensu fluit popularis poësis.

Ecclesiae miles pro aris et focis egit strenue, clarebatque Sponsa Christi suorum pulcritudine versuum, ita ut carminum lectione peracta quisque secum haec volveret: Cuja haec vox? an Legionensis? an Johannis a Cruce? an Teresiae a Jesu divino amore vulneratae?

Amici, reipublicae litterarum sensui consonantes, tempora nostri vatis Apollinari laurea, laetissimis animis populoque plaudente, praecinxerunt. Paucis post diebus Columbianae fidicen lyrae, patria in lacrimas effusa, naturae concessit.

PALAEASTRA LATINA cuius est ubique terrarum classica studia Latinitatis diffundere, nec non praeclaram illustrium virorum memoriam revocare, festis hujus centenarii maximo sociatur jubilo.

CAROLUS MESA GÓMEZ, C. M. F.

Zipaquirae XIII Kal. Aug. 1933.

CURSUS GYMNASTICUS

VERGILII ECLOGA V⁽¹⁾

(ADNOTATIONES GRAMMATICAES RHETORICAE)

Non ulli pastos illis egere diebus
 Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem 25
 Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
 Daphni, tum poenos etiam ingemuisse leones
 Interitum montesque feri silvaeque loquuntur.

Poterat Vergilius dolorem matris
 Daphnis ampliore modo describere, ut
 Bion dolorem Veneris in morte Adonis,
 sed meminit se bucolicum carmen
 componere, non elegiacum; itaque statim
 ad campestria redit. *Non ulli pastos...* Eaedem imagines in Georgicis reperiuntur: «Videris aut summas carpentem
 signavius herbas... inmemor herbae victor
 equus fontesque avertitur». Suetonius de
 prodigiis quae morti Caesaris praecesserunt, haec habet: «Proximis diebus equorum greges quos in trajicendo Rubicone
 flumine consecrarat, ac vagos et sine

custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere, ubertimque flere»

Libavit: gustavit, attigit. «Dixit et in mensa laticum *libavit* honorem». (Aen. I, 740). *Poenos*: forte sit epithetum excellentiae; sed verius sibi vult notitiam mortis Daphnis ad Africam usque pervenisse; et dolore etiam animalia tetigisse. Praesens *loquuntur* poëticam Vergiliū facultatem mirum in modum demonstrat. Natura inanima postquam mortem Daphnis ploraverat, ejusdem memoriam recolit.

Daphnis et armenias curru subjungere tigres,
 Instituit, Daphnis thiasos inducere Baccho, 30
 Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
 Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
 Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
 Tu decus omne tuis; postquam te fata tulerunt,
 Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo. 35

Incipit elogium Daphnis. Tria pastores edocuit Daphnis: Tigres ad currum subligare; choreas in honorem Bacchi celebrare (quod significatur nomine thiasi sive chori saltantium in honorem Bacchi); demum flexiles hastas frondibus intexere. «Hoc aperte, ait Servius, ad Caesarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam et Liberalia instituisse». Servio alii adsentiantur, «sed non ego credulus illis;

longe enim ante Caesarem scelerum haec seminaria investigata a Consulibus refert Livius, 4. 9. 27.» (Minelius).

Curru (pro *currui*): veteres in nominibus quartae genitivum extulere per *uis=curruis* et dativum per *ui=currui*. Unde postea sicut genitivum contraxere in *us*, ita aliquando dativum in *u*. Gellius (Noct. Att. I, 4. 16) multa congerit exempla Vergilii: «parce metu; teque aspectu ne substrahe nostro»

(1) Cf. fasc. sup., p. 6-7.

Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis
 Infelix lolium et steriles dominantur avenae,
 Pro molli viola, pro purpureo narcisso
 Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
 Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras, 40
 Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
 Et tumulum facite, et tumulo super addite carmen:
 Daphnis ego in silvis hinc usque ad sidera notus,
 Formosi pecoris custos, formosior ipse.

Grandia, i. e. ad serendum selecta
 (A. Forbiger) Quamvis certum est poëtam interdum de frumentorum selectio-
 ne loqui, (cfr. Georg. I, 199), rectius ver-
 terem *erecta*, ratione habita antithesis
 noxiarum herbarum quibus epitheta *in-
 felix*, *steriles*, tribuit. *Hordea* species
 pro genere, *hordeum* pro quolibet fru-
 mento, *sinecdoche*. *Dominantur*: infe-
 cundae avenae super omnes herbas et
 frumenta eminent; en Vergili cogitatus,
 at quam pulcre et poëtice expressus. No-
 tentur epitheta propria et inter se oppo-

sita *grandia hordea*, *infelix* *lolium* et
steriles *avenae*, *molli* *viola*, *carduus*
paliurus. Versus 38-39 harmonia natu-
 ram imitante commendantur, *Spargite
 humum foliis*: Veteres in magnis sollem-
 nitatibus civilibus et religiosis in hono-
 rem deorum heroumque celebratis, vias
 et tempa sternere floribus viridibusque
 ramis solebant. Eumdem sensum habet
inducite fontibus umbras.

Daphnis ego... epitaphium Daphnis.
 Veterum opinione in eo stabat epitaphii
 seu epigrammati meritum ut nempe
 disticho complectetur; unde dictum:

*Omne epigramma venustum est distinctum, ubi auxeris ultra
 Dulce poëma facis, non epigramma facis.*

H. MARTIJA, C. M. F. -

HYMNUS SANCTORUM

Caelo quos eadem gloria consecrat,
 Terris vos eadem concelebrat dies:
 Laeti vestra simul praemia pangimus
 Duris parta laboribus.
 Jam vos pascit amor nudaque veritas,
 De pleno bibitis gaudia flumine,
 Illic perpetuam mens satiat sitim
 Sacris ebria fontibus.
 Altis secum habitans in penetralibus
 Se Rex ipse suo contuitu beat,
 Illabensque sui prodigus intimis
 Sese mentibus inserit.
 Alteri medio, cui Deus insidet
 Agni fumat adbuc innocuus cruor

Quae maestata Patri se semel obtulit,
 Se jugis litat hostia.
 Pronis turba senum cernua frontibus
 Inter tot rutili fulgura luminis
 Regnanti Domino devovet aurea
 Quae ponit diademata.
 Gentes innumerae conspicuae stolas
 Agni purpureo sanguine candidas
 Palmis laeta cohors cantibus aemulis
 Ter sanctum celebrant Deum.
 Sit laus summa Patri summaque Filio,
 Sit par Sancte, tibi, laus quoque Spiritus:
 Qui das pro meritis optimus arbiter
 Te totum simul omnibus.

SANTOLIUS

NOVA ET VETERA DE TRUTINIS

Proprie trutina, ut videtur, est foramen annuli ex quo pendet librile seu jugum in libris et stateris. Attamen trutinae nomine metonymice sumpto significari jam solitum est modo generico omne pensandi instrumentum, quod quisque videre poterit ex illo Horatii:

*...Romani pensantur eadem
scriptores trutina* (Epis. I. II, 1, 29)

Quae quidem locutio sc. *eādem pensare trutina* in proverbium abiit, ut nullum facere in rebus discriminem ostendat. *Libra*⁽¹⁾ et *statera*⁽²⁾ differunt a *trutina* ut species a genere. Duae enim sunt species trutinae, libra quae binas habet lances et statera quae scapo constat puntis distincto, quae pondera discriminant. Duobus illis aliam hodie adjungere possumus quae vocabulo adcomodato appellari potest *tolleno*.⁽³⁾


Tolleno qui proprie erat machina aquaria et etiam militaris sic describitur a Vegetio: «Tolleno dicitur quotiens ima trabes in terram praealte defigitur cui in summo vertice alia transversa longior, dimensa medietate, connectitur, eo libramento ut si unum caput depresso, aliud erigatur. In uno ergo capite cratibus sive tabulatis contexitur machina in qua pauci conlocantur armati. Tunc per funes uno attracto depressoque, alio capite elevati inponuntur in murum».

Ut facile ex his eruitur machina haec eodem fere modo agitur quam illud pensandi maxima pondera instrumentum ad quod ideo tollenonis nomen non immerito transferimus.

Libra quae duas habet lances, bilanx est appellata, unde nomina in linguas romanicas manavit. Sed ad partes veniamus illorum instrumentorum. Super basim⁽⁴⁾ erigitur scapus,⁽⁵⁾ qui est stilus librae. Foramen qua inseritur scapus vocatur etiam agina;⁽⁶⁾ unde aginatores dicuntur qui parvo lucro moventur. Librile⁽⁷⁾ vocatur



Libra




Trutina



transversa illa linea duobus bracchiis constans ex quibus lances dependent; lances autem duo illa vascula in quorum altero pondus,⁽⁸⁾ in altero res ponderanda imponitur; uncus⁽⁹⁾ unde lancula pendet vocatur ansa. Examen seu index⁽¹⁰⁾ est lingula quae per medium aginam vertitur et cum in neutram partem inclinatur aequilibrium indicat. Aequilibrium est aequatio librae cum, pondere utrimque aequa premente et ponderante, ea in neutram partem inclinat, sed recto aequalique statu permanet. Libratio est actus librandi et libramentum⁽¹¹⁾ quidquid grave pondus alicui rei addit.

Tolleno

Statera



Aequipondium⁽¹²⁾ est pondus staterae scapo appensum ad cognoscenda rerum momenta, ita dictum quod aequat pondera. Nomina autem ponderum apud Romanos cum aequipollentia sunt quae sequuntur.

Libra	327,45 gr.
Deunx-uncis	300,08 »
Dextans-ntis	272,80 »
Dodrans-ntis	245,52 »
Bes-bessis (m.)	218,24 »
Septunx-ncis	190,96 »
Semis-semassis v. semassis-is	163,68 »
Quincunx-ncis	136,40 »
Quadrans-ntis.	81,84 »
Sextans-ntis	54,56 »
Uncia	27,28 »
Semuncia	13,64 »
Sicilicus	6,882 »
Sextula	4,548 »
Scrupulum	1,137 »

- (1) *Balanza*. (2) *Romana*. (3) *Báscula*. (4) *Pie*. (5) *Asta*.
 (6) *Ojo de la bal.*. (7) *Palanca*. (8) *Peso*. (9) *Gancho*. (10) *Fiel*.
 (11) *Sobrepeso*. (12) *Contrapeso*.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

Conloquium in schola

Cave cuique fidas

PERSONAE:

JOSEPHUS, JOHANELLUS ET
LUDOVICUS

SCAENA 1.^a

- L. — *Vidistin' heri Johannellum?*
 Jos. — *Quem? Stultumne illum? Apage, cave memineris. Parum aguit ut ei alapam impingerem cum vidi impudentem, quasi albae gallinae filium, dum parentes jam fame pereunt.*
 L. — *Levissimo est animo.*
 Jos. — *Et quod pejus est, parentibus ingratus.*
 L. — *Majores pennas nido extendit, et animalia debet.*
 Jos. — *Hem! Ludovice, ecce adest.*
 L. — *Excedere praesto sum ne videam; illius aspectus offendit.*
 Jos. — *Ego autem ejus conloquium fastidio.*

SCAENA 2.^a

- JOHA. — *Quid agitur, mi Josephe? Euge, Ludovice!*
 L. — *Salvum te advenisse gaudemus, o rerum dulcissime. De te commodum fabulabamur.*
 JOHA. — *Ad detrahendum mihi fortasse.*
 JOS. — *Nihil minus, Johannelle; noli suspiciosus agere.*
 L. — *Vix te neveram cum heri obcurrerim in via... Optimas Hispaniae videbaris.*
 JOHA. — *Perplacuit vestis, nonne? Heri nova primum usus sum.*
 L. — *Optimam vestem elegisti.*
 JOHA. — *Equidem, in his emunctae sunt naris.*
 JOS. — *Eja, Johannelle, in elegantiam tuam omnium oculos convertisti.*
 L. — *Quidni? Dives est, et pecuniam valet dispergere.*
 JOHA. — *Quippe! Verum abscedo, hora quarta sunt choreae*

No fiarse de cualquiera

PERSONAJES:

JOSÉ JUANITO Y LUIS

ESCENA 1.^a

- L. — *¿Viste ayer a Juanito?*
 JOS. — *¿A quién? A ese mentecato? Quieta, no me lo recuerdes. Por poco le doy un sopapo cuando le vi pavonearse tan alñado, mientras que sus padres se mueren de hambre.*
 L. — *Es un cursi...*
 JOS. — *Y lo que es peor es un hijo mal criado.*
 L. — *Quiere volar demasiado alto, y debe lo que lleva encima.*
 JOS. — *¡Ojo, Luis, que allí viene!*
 L. — *Estoy por marcharme para no verle; su presencia me repugna.*
 JOS. — *Y a mí asco me da el hablarle.*

ESCENA 2.^a

- JUA. — *¿Qué tal, Pepe? ¡Hola Luis!*
 L. — *¡Bien venido, amigo del alma! Casualmente estábamos hablando de tí.*
 JUA. — *Sería para criticarme.*
 JOS. — *Eso ni pensarlo, Juanito; no nos ofendas.*
 L. — *A poco no te conozco cuando ayer me crucé contigo en la calle. Si parecías un grande de España.*
 JUA. — *¿Te gustó el traje, verdad? Ayer mismo lo estrené.*
 L. — *Tuviste gusto en la elección.*
 JUA. — *Sí, en esto no me falta gusto.*
 JOS. — *¡Caramba, Juanito! Con tu elegancia te llevas todas las miradas.*
 L. — *¡Claro! Como es rico y puede gastar...*
 JUA. — *¡Vaya!... Pero me voy, que a las cuatro es el baile.*

JOS. — *Vale, Johannelle.*
 L. — *Vale. Crastina die revises.*
 JOHA. — *Age. Per me stabit.*

JOS. — *Adiós, Juanito.*
 L. — *Adiós, que mañana no faltes.*
 JUA. — *Pierde cuidado, por mí no quedará ..*

SCENA 3.^a

JOS. — *Vidistin' petulantiam hominis?*
 L. — *Centones illi sarcirem non invitus.*
 JOS. — *At... transacto mense, non eum liberavit a sutore tumiditas.*
 L. — *Abi, agutule.*
 JOS. — *Ave, garrule, mentis inops.*
 L. — *Satis Josephe, discedam opus est.*
 JOS. — *Quonam igitur vadis?*
 L. — *Domi meae exspector.*
 JOS. — *In crastinum congressum; itane? In via praestolabor.*
 L. — *Optime scis, amicissime, optata tua, mandata me existimare.*
 JQS. — *Bene vale, mi Ludovice.*
 L. — *In crastinum.*
 JOS. — *(Apud se) Utinam proxima nocte corrucas!*
 L. — *(Apud se) Sic male pereas!*

ESCENA 3.^a

JOS. — *¿Viste qué pedantería?*
 L. — *De buena gana le zurraría la bandana.*
 JOS. — *Pero... al fin del mes no se librará del sastre con toda su prosopopeya.*
 L. — *¡Valiente figurín!*
 JOS. — *¡Monigote de escaparate!*
 L. — *Bueno, Pepito, que me precisa el marcharme.*
 JOS. — *Pues ¿a dónde vas?*
 L. — *Me esperan en casa.*
 JOS. — *Hasta la entrevista de mañana, ¿eh? Te esperaré en la rambla.*
 L. — *Ya lo sabes, tus deseos son para mí mandatos.*
 JOS. — *Adiós, Luisín.*
 L. — *Hasta mañana.*
 JOS. — *(Aparte) ¡Ojalá te murieras esta noche!*
 L. — *(Aparte) ¡Así te revientes!*

Epistularum Commercium

Josephus Aloisius Sempere, S. J.; R. P. Emmanuel Jové, C. M. F.

Cervariam

Reverende in Ch. P. Moderator Palaestrae Latinae:

Singulari Dei providentia ad manus meas pervenit pulcherrima ephemeris Latina qua Palaestra Latina audit.

Quoties ipse, qui plurimos annos in instituenda juventute conlocavi, volui adgredere opus simile huic, quod splendide ac naviter hodierna die a te vidi absolutum! Nam paucis foliis rem gramaticam egregie depingit, atque odorem quemdam antiquitatis classicae spirat. Qua perspicuitate, quo spendor, qua varietate ac verborum aptissimorum abundantia omnia sunt perpolita! Duos continuos annos scholares evolvi, mihiique omnia adriserunt. De verbis novandis deque re

gramatica scribis. Quis dubitaverit huic scribendi generi magnas inesse difficultates? Sed ipse attigisti ut manu.

Quare nemini dubium esse poterit, quin perutilem animis ad litterarum institutionem informandis operam dederis, et est sane cur tibi, tuisque amantissimis sociis gratuler de opere optimo, multorumque doctorum assensu comprobato.

Nos vero Jesuitae Hispani, extores ab anno 1932, vehementer cupientes ut ex industria solertiaque tua uberrimos fructus capiamus, a te petimus ut subnotationem ab ineunte cursu scholari 1932 nobis instituas, nempe a numero 19 tui commentarii, reliquos enim omnes, si primum excipias, pulcerrimo dono sunt mihi a socio commodati. Jam cum benigne accipias in tua Palaestra lucubrationes aliquas, rogo ut mihi signifiques qua ratione ac methodo sint mittendae, quibusve legibus subjiciantur; nihil enim nobis jucundius accidet, quam ut adjutricem manum tibi admoveamus. Ut vero finem huic epistulae imponam, Deum Optimum Maximum enixe adprecor, ut quae ad exequendum tuum munus caelestia praesidia opus sint, tot et multo plura cumulatissime ab Eo deferantur.

Tibi obsequentissimus et addictissimus in Christo.

Chavetoniae, die 2 Octobris 1933.

Emmanuel Jové, C. M. F.; Aloisio Sempere, S. J.

claro atque caro viro s. p. d.

Chevetoniam.

Tardidati litterarum mearum clementer ignoscet, tuis enim supra modum amantissimis a prima jam lectione publice respondere constitueram; unde factum est ut tum solum tibi satis fecerim, cum de immediate parando ad prelum numero m. Nov. cogitaverim.

Te longos annos res Latinas pertractasse non uno verbo, sed singulis ostendisti, ideo illae litterae tuae non solum nobis accidere potuerunt gratissimae, qui labores qualescumque nostros in Palaestra collocamus, sed sociis etiam qui in eo commentario saporem germanae Latinitatis avent degustare. Sunt enimvero in exemplum elegantes et concinnae omnique ex parte probabiles; te igitur in numerum collaboratorum amodo jam numeramus.

Extordes estis, ut inquis, sed non dubito fore ut opinione citius in patriam remigrare possitis. Faxit Deus ut ea quae fulgere coepit aurora in agris catholicon, nobis diem splendidum paret. Interim exulum clamores nobis sunt acceptissimi, sicut vobis non solum personae nostrae sed ea omnia quae a nobis proficiuntur.

Tibi tuisque fratribus nostrum amorem significa atque desiderium.

Vale.

Cervaria, V Id. Octobris 1933.

PER ORBEM

Commentarii recens editi.—Litterae classicæ magis in dies evolvuntur, uti ex commentariis adparet postremis diebus prodeuntibus.

1) *L'Antiquité classique*, commentarius ad studia philologica et archaeologica antiquitatis apud Belgas fovenda, bis in anno edendus, mox praeconium erit praeceptorum illius populi, qui litteras classicas tanto studio prosequuntur. Actuaria constituitur a praeceptoribus Johanne Hubaux in Universitate Lioiensi, Humberto Philipart in Universitate Brugensi, Dre. Rome in Universitate Lovaniensi, Humberto Van de Weerd in Universitate Gandavensi. In his quae ad subnotationes aliaque spectant Dr. Rome intendit (*150 Avenue des Allies, Louvain*).

2) In Rumania etiam Dr. Lambriño commentarium archaeologicum et historicum nuntiavit nomine *Istros* hoc ipso anno oriundum, in quo notitiae archaeologicae Rumaniae in primis et finitimorum populorum recolantur, simul cum historicis antiquitatis Graecæ et Romæ praesertim quaestionibus. Mense Decembri alter prodivit numerus.

3) Mense Januario currentis anni primus oriebatur fasciculus commentarii *Gymnasium* dicti, pro Italicas lyceis potissimum digesti. Simili ratione ac Gallicus commentarius *Les Humanités* ordinatur. Gymnasium bis in mense editur, articulos continens seu studia atque exercitia universalis Lycei disciplinis respondentia, ephborum captui apta (Directio: Società editrice Internazionale, Corso Margherita 176, Torino).

4) Gratissimo quidem animo *Auxilium Latinum* ex his plagulis nuntiamus. Commentariolus ille videlicet, non quidem recens editus (annum enim quintum originis attigit) sed nuperrime ad nostram notitiam adductus. Auxilium Latinum, Latinas litteras adjuvare

curat in Civitatibus Confoederatis praesertim, ubi haec litterarum genera, iudicio Dni. Peeters (1), parvi penduntur. Commentarius duodecim pagellis constat, atque singulis mensibus, a mense videlicet Octobri ad Majum, latine conscriptus editur. Eum moderatur Dnus. Fridericus Fraley administrat in civitate Brooklyn N. Y. (Box 54, P. O. Station «S»).

5) Dnus. E. Bignone praeceptor ordinarius philologiae classicæ in Universitate Florentina munus suscepit modorandi commentarium *Atene e Roma*, hucusque ab anno 1920 ab Aloisio Parati diligentissime absolutum. Quo factum est ut novam vivendi periodum commentarius sortiretur.

Cl. *Viri e vita sublati*. In Gallia ubi pro studiis Graecis acerrime decertaverat Dnus. Georgius *Dalmeyda* vita functus est; in Germania Dnus. *Jacobsohn*, in studiis philologicis litterisque Latinis insignis, praeceptor in Universitate Marburgensi, cathedrae minervalis, Israëliticae filiationis causa, privatione contristatus sibi ipse violenter vitam ademit; Fortunatis insulis in Hispania P. *Josephus M. Fernández*, C. M. F., frater carissimus, piissime, ut vixerat, emisit spiritum. Linguam Latinam iteratis cursibus edocuerat, posterisque Grammaticam ac Gymnasium linguae Latinae, semel atque iterum edita, reliquit. Candidatum et Palaestram epistulis gratulatoriis salutaverat. (2)

Conventus generalis linguarum. Linguarum amatores qui prius Hagae Comitum atque Genuae convenerant, nunc tertium Romanum m. sept. concurrerunt ut quaestiones philologicas et linguarum agitarent. In conventu actum est de linguis Indis europaeis, de mutuo linguarum influxu, de verborum ad ideas relatione, de mutua inter diversa linguarum genera adfinitate et de sexcentis aliis.

(1) Cfr. *Revue des Études Latines*, 1932, p. 115-120. — (2) Cfr. *Candidatus Latinus*, p. 35.

Societas linguae Latinae. 1) *Societas Polaca.* Varsaviae in Polonia Societas litterarum constituta est ad hoc maxime, ut conlationes et scientificas communicationes inter sapientes viros lingua Latina moderetur. Quam ob rem Lexicum Latinum hodiernis usibus aptatum redigere intendit omniumque sapientium auxilium depositum. Societatem Dr. Th. Zieliński regit, munus vero a secretis Dno. I. Wieniewecki commissum est, qui monita, consilia, cet. libentissime suscipiet Warszawa, Polna, 46 m. 17).

2) *Societas G. Budé.* Nemausini conventus vota seu proposita compleps, Societas G. Budé coetum potentium hominum, qui Societatis honor sint et juvamen, cura et ingenio Dni. Johannis Lazard, instituit. In aditiali concessu Dnus. Mauritius Croisset, totius Societatis rector, praeclaris membris gratias retulit quam maximas atque summatim conatus, labores, proposita Societatis, eaque optima, explicavit. Unde nihil jam mirum, si Dnus. De Monzie supremus in Gallia publicae institutionis administer, ejusdem Societatis merita palam recognoverit atque in epistula ad omnes epheborum magistros pro Graeca Latinaque institutione missa laudaverit. (1)

3) *Societas Parisiensis Studiorum Latinorum* consilium regiminis sequenti ratione constituit: Dnus. A. Ernout moderator, Dni. Albertini et Barbelenet promoderatores, Dnus. Marouzeau administrator, Dna. Laurent thesauraria. Haec eadem Societas decimum originis annum sollemniter celebravit atque in concessu publico Parisiis sermonem habuerunt Dnus. Ernaut Societatis rector Dnus. Marouzeau, ejusdem auctor impiger, qui, ut Aeneas, antequam iter

rapiebat, memoriam ducum suorum morte occubitorum agere consueverat, ita Societatis moderatorum nomina et merita ipse recoluit eosque magnis prosecutus est laudibus. Societatis praeterea progressum et incrementum declaravit atque mathematicis numeris devicit; namque socii ab anno 1923 hac ratione per annos progrediuntur: 114, 215, 261, 292, 356, 434, 467, 489, 619; qui per nationes distributi ita se habent: Helvetii 67. Belgae 31, Batavi 17, Rumani 16, Civitatum Confederatarum 15, Hispani 14, Itali 10, Angli 9, Tchecoslovaquia 7, Russi 3, Poloni 3, ceterorum pars praecepit Galli, pars minor Germani, Canadienses, Brasilienses, Australiani, Cilienses, Aegiptii. Dnus. Marouzeau in fine orationis haec notanda verba protulit: «*Ne pas nous contenter de continuer d'être. Craindre la estegnation, qui est la mort des Sociétés. Una Société ne meurt pas le jour où elle disparaît. Elle meurt le jour où ayant acquis la facilité de vivre, elle ne s'oblige plus à l'effort. Elle meurt le jour où elle ne progresse plus.*» (2) Deinde Dnus. Meillet, qui annis praeteritis societati praefuerat, omnium adstantium coronam salutavit, demumque Dni. Durri, Faider plausum et admirationem sociorum ubique commorantium Societatis praesulibus adulterunt. Nos etiam signum adprobacionis demonstramus libenterque accipimus ac firmamus salutationem quam Dnus. Oltramare Societati studiorum Latinorum miserat: «*vobis, ait, natalem Sodalitatis decimum agentibus sodales Helvetii ammis nunc et inter se et vobiscum conjunctissimi gratiam gratulantes referunt debitam, et vota suscipiunt plurima ut circuli multis locis fiant similes, Latinorumque studiorum Societas, ducente Marouzeau, floreat et crescat.*»

J. M. JIMENEZ, C. M. F.

(1) Par delà les controverses, ait Dns. de Monzié, que soulèvent les notions de culture et d'humanisme, un accord unanime s'est fait sur la nécessité d'ouvrir à un plus grand nombre d'esprits l'accès du trésor gréco-latine. Il s'agissait d'utiliser les savants travaux philologiques et d'en fixer le résultat pour le profit de tous. Tel fut le programme de l'Association Guillaume Budé fondée en 1917 au plein de la guerre et qui a développé depuis 15 ans sa courageuse entreprise avec le concours presque exclusif de l'Université française... (Bul. de l'Ass. G. Budé, Avril 1933. p. 64).—(2)—Rev. des Études Lat. 1933, p. 38.

Bibliographia

Max et Moritz. — *Facinora puerilia septem dolis fraudibusque peracta, ex inventione Gulielmi Busch, poëtae pictorisque; in sermonem Latinum conversa a versificatore sereno (Dr. G. Merten).* Editio octava, anno 1933. — Monachii apud Braun et Schneider, bibliopolas.

Nihil hoc libello jucundius pueris, nihil venustius, nihil tandem ad eos erudiendos invenitur suavius.

José C. Andrade, S. J. — *Virgilio Poeta de Roma.* Bogotá 1933. Imprenta del Corazón de Jesús.

Pauci nitidissimum hunc libellum legentes, nisi qui in studiis Vergilianis sunt versati, merito poterunt aestimare quanta sit difficultas tantam materiam parvo centum fere paginarum numero, complectendi. Ut rectum de opusculo judicium feratur, prae oculis haberi oportet finis auctoris, memoriam nempe tanti poëtae recolendi, bis millesimo ab ejus obitu decurrente anno, Vergilianeque poëseos cognitionem evulgandi.

Brevi praemissa biographia, auctor Vergilium sequitur in triplici productione poëtica, in Bucolicis, Georgicis et Aeneide. In Bucolicis Teocritum imitatur, minime vero ut pedisequus, sed Graeca exemplaria proprio vestit nomine, plerumque perficit. In Georgicis omnino suus appetet, nihil ab Hesiodo exhaustiens; itemque in Aeneide, licet Homeri vestigia presserit. Hoc confirmatur conlatis utriusque poëtae locis parallelis a Macrobius mutuatis. Demum Vergilianeae poëseos proprietates enucleantur, in quibus eminent patriae amor, Romanarumque rerum admiratio, imaginatio subjectiva, sensus musicus qui in hexametri armonia et figuris verborum eluet.

José C. Andrade, S. J. — *Cicerón, Psicología de su Oratoria.* Editorial de Sta. Fe, Bogotá.

Jamdiu desiderabatur libellus qui Hispanica lingua conscriptus, de Oratoria Ciceronis facultate complete dissereret. Praeter breves elucubrationes nostri polygraphi Menéndez Pelayo in operibus «Ideas Estéticas» et «La Nueva entre los Latinos», lectionesque Historiae litterarum Latinarum ab illustri viro Josepho Canalejas in Universitate Matritensi traditas, fere nihil Hispanae litterae produxerant de artis Ciceronianae indole psycologica. Triplicem partem habet opusculum clari Patris Andrade, S. J. Prima pars: Quid doceat Tullius in operibus didacticis, praecipue in *Orator* et *De Oratore* de facultatibus ad perfectum oratorem. Pars altera: Quomodo Tullius in praxim reduxerit theoriam psycologicam Artis Oratoriae, in medium adductis optimis orationibus. In tertia parte auctor caracterem psycologicum artis Ciceronis inquirit; Oratorem Romanum comparat cum Demosthene, in qua comparatione convenit cum pervulgato parallelo Quintilianii (Instit. Orat. X 1, 106).

Aliquantulum in priore parte immorur. Docet Tullius nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inveniri (De Oratore, I, 28, 128); in eo enim est requirendum ingenium ad excogitandum acutum, et omnium scientiarum non imperfecta cognitio, acumen dialecticum, sententiae philosophorum, verba prope poëtarum, memoria juris consultorum, vox tragedorum, gestus paene summorum actorum. Apprime orationis materiam cognoscere: «in foro tabellas, testimonia, stipulationes, vitam denique eorum qui in causa versantur». Animus auditoris penitus pernoscere, hoc enim maximum est oratoris munus, et omnes animi motus quos humano generi rerum natura tribuit, adjuncta loci, temporis,

dignitatis personae (De Oratore I, 4, 60). Quod ad dispositionem orationis, quot tuor in ea partes distinguit: Exordium, narrationem, confirmationem et perorationem; stylum vult diversis generibus orationum congruentem, et rythmum seu numerum verborum et periodorum. (De Rythmica Ciceronis Dictione, cfr. La Theorie Ciceronniene de la Prose métrique in Revue des Etudes Lat., 1929, pag. 70).

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

Hans Lamer.— *Woerterbuch der Antike mit Beruecksichtigung ihres Fortwirkens.*— Alfred Kroener Verlag, Leipzig.

Quod assiduis lectoribus Palaestrae Latinae dictionarium classicae Antiquitatis ultiro hodie offerimus, id quasi compages quaedam totius culturae antiquorum, Latinorum Graecorumque populorum est. De philosophia illud, de arte, de litterarum cultu, de religione, de mythologia est, non aliter atque de re politica, de oeconomia, de technica, medicina, geographia, jure, privatorum vita agendique ratione. Dictionarium 754 refertis pagell:s constat, eisque cum sedulo studio, tum rerum antiquarum scientia, quae nexus quodam arguto cum recentioribus copulantur, saturis. Maximo quidem emolumento dictionarium hoc aestimamus Latinae nostrae linguae cultoribus, quibus ea de causa illud velis equisque commendamus.

Proverbes Français et Gallicismes.

G. Sagehomme, S. J.—Maison d'Éditions Ad. Wesmael-Charlier, 69, Rue de Fer, 69, Namur.

Lingua quidem Gallica, ut etiam inter homines aliae, diversis quasi proverbii seu adagis abundat, quorum recto et usu et captu studiosorum scripto, non nobis abutendum; ea enim adhibitio, tamen, moderata linguam reddit subti-

lem et nervosam, neque delectare animos non potest. — Praesens autem manuale typographiae Wesmael Charlier, centum plagulis completur, quarum quattuordecim priores proverbii Galliæ, iis rite quidem collectis, ceteræ vero Gallicismis usitatoribus ad adolescentium usum tribuuntur. Libellus emolumento illis praesertim erit, qui bene de litteris humanioribus sentiunt.

A. MARQÉS, C. M. F.

P. M. Rossi.— *M. T. Ciceronis Cato Major de Senectute*, con note italiane e Società editrice Dante Alighieri. Milano.

In lucem prodit per pulcrum Tullii opus quod *Cato Major de Senectute* inscribitur, curante Dre. P. M. Rossi. Tertio editur ab auctore, quamquam in operculis quarta appareat editio. Nihil est cur dicamus de opere Tulliano, apud omnes enim et suavitate et nitore in dicendo viget et auctoritate iisque praesertim aptatur liber qui se ipsos jam urgentis senectutis onere levare ac mollem et jucundam degere senectutem velint. Quod autem ad opus clari viri M. Rossi, apprime et scite elucubratum, optimas editiones sedulo inspexit ac delegit in textu stabiliendo; de personis a Tullio in dialogo inductis, in praefatione praincipia vitae cujusque notat, et fontes et annum quo Tullius librum conscripsit. Illa tamen praincipia hujus editionis virtus, quod accuratissimis, per opportunis instruitur notis sive historicis sive grammaticis ac de recto uso et significatione verborum. Quas annotationes animo retinentibus facile est propriam ac nativam Tullii sermonis elegantiam degustare, et sensum uniuscujusque locutionis arripere. Utinam et tales libri apud nos tandem in palaestram litterarum inmittantur.

J. MIR, C. M. F.

Exercitationes Scholares

Fames, naufragio liberat. (Ann. III. n. 27).—Quondam duabus horis post meridiem in civitatem quidam rex intravit. Legatos ad eum misit senatus ut debita ei officia redderent. Cum ille a quo sermo esset habendus, ad hunc modum inciperet: «Alexander magnus.... ...Magnus Alexander...» et verbis frangere tur, rex qui fame premebatur: Amice, inquit, Alexander magnus nianducaverat et ego jejonus maneo. Quibus dictis viam suam ad civitatis diversorum perrexit ubi ei paratum erat convivium.

AEMILIUS FERRARI, C. M. P.
Villae Rosarii in Argentina

El telégrafo y el rayo. (Any III. n. 27).—Sé hombre de bien y no uses mal de tus facultades.—El telégrafo insultaba al rayo con estas palabras: A ambos nos engendró una misma madre, la fuerza eléctrica. Mas, ¡ay! dotados de tan diferente índole, yo soy útil a todo el mundo, en un instante llevo los despachos de un extremo a otro de la tierra. Pero tú maquinas injustamente cosas perversas con tu estrépito, destruyes las casas, causas muchas veces la muerte complaciéndote tan sólo en las desgracias.

JOSEPHUS TEJEDA, C. M. P.
Villae Rosarii in Argentina

La serpiente y el elefante. (Ann. III. n. 19, p. 131).

«Siempre hallarás que el vicio,
Se labra por sus manos el suplicio». (Hartzenbuch)

Refiérese que en la India, una serpiente de gran corpulencia y longitud decía, jactándose, a otras culebras pequeñas, que se atrevía a dar muerte hasta a un elefante, a pesar de su gran tamaño. Entonces con muchísima audacia, acomete a un elefante, que estaba en la sombra, y lo rodea con su díctil cuerpo. El acometido disimula astutamente no querer resistirse con ninguna suerte de movimientos ni esfuerzos; adelgaza su cuerpo cuanto le es posible, reduce la curva de su enorme abdomen y queda rodeado por los anillos de la serpiente. Esta maligna enemiga, estrechando sus anillos con toda su fuerza, se empeña en darle la muerte; pero el elefante ensancha de repente su vientre con gran empuje, lo infla hasta lo increíble y descoyunta las vértebras de la serpiente; luego sacude sus anillos ya rotos, y, por último, poniendo el pie derecho sobre la cabeza de la vencida, le hace saltar los sesos.

G. ARIDA, C. M. F.
Villae Rosarii Argentina

La zorra y las serpientes

(Ann. II, p. 131)

Con fiero ardor pelean dos culebras,
Y ya no lejos de la muerte están.
Entretanto se acerca otra serpiente
Y trata con astuta habilidad
De poner fin a la reñida brega
Y a sus dos compañeras aplacar.
Muy cerca está una zorra, que en seguro
Desea la contienda contemplar;
La cual así interrumpe en su tarea

Al árbitro maligno de la paz:
«A fe que a tus bellacas compafieras
Tus artes no podrían amansar,
Si a entrambas no excedieras en perfidia,
Si a entrambas no vencieras en maldad». Esta fábula enseña que al malvado
Por doquier le acompaña su ruindad.

CAROLUS GABRIEL, C. M. P.
Villae Rosarii Argentina

Compositiones vertendae

Cinegiro⁽¹⁾ soldado ateniense

I Muchos escritores han pregonado (2) la gloria del soldado ateniense Cinegiro. Después de la batalla de Maratón, (3) cuando los enemigos huían en las naves, con su mano derecha detuvo (4) una cargada de ellos. Habiéndole cortado (5) la mano derecha retuvo la nave con la izquierda. Como la hubiese perdido también agarró finalmente la nave con sus dientes. (6) Tan grande fué su valor (7) en esto, que habiendo perdido las dos manos, como una fiera rabiosa luchó contra el enemigo con sus dientes como una rabiosa fiera.

II La gloria de Cinegiro soldado ateniense, fué celebrada por numerosos es-

critores. Este, después de la batalla de Maratón detuvo con su mano derecha una nave cargada de soldados enemigos, cuando ellos trataban de marcharse. (8) Le cortaron la mano derecha y retuvo la nave con la izquierda. Como también hubiese perdido esta, al fin agarró (9) la nave con sus dientes. Tal fué su valor, que habiendo perdido ambas manos, luchó contra el enemigo con sus dientes como una rabiosa fiera.

Notulae.—(1) *Cynaegeyrus*. —(2) *Effero*. —(3) *Proelium Marotonium*. —(4) *Teneo*. —(5) *Amputo*. —(6) *Morsu*. —(7) *Virtus*. —(8) Part. de fut, en *urus*. —(9) *Arripio*.

Turris et Municeps

Pagi cujusdam interiacientis Alpibus
Turri sat celsae superior altitudine
Substabat turris (1) non remoto in oppi-
[do:
Aeris campani effundebant (2) apte so-
[num.
Minorem augeri suspicit altior soror,
Dein pluribus audit jam sonoram voci-
[bus.
Rogat quidnam hoc sit: cui respondet
[municeps:
Vir quidam, emunctae naris, (3) summis
[artibus
In rebus (4) semper vult versari publicis,
Et orator popularis rite deligi,
Arbitrio patriae deputatus legifer:
Popularem captat aurem, suffragia modis
Venatur miris, singulis quinquenniis,
Plebem demulcens, obsequens potentii-
[bus.

Manum isti prensat (5) amice, aliisque
[callidus
Subridet dulce, vel perambulantibus
Villas et urbes comitem se facilem exhib-
[bet.
Blanditur cunctis: aucupatur gratiam
Plurima promittens, alia aliis sed naviter:
Arenti pago fonte de purissimo
Aquam perennem; et opportune ceteris
Viam sternendam, seu pontem, aegrotis
[domum,
Templum novamque turrim; omnesque
[praedicat
Cives beatiores, se electo, fore.
Reponit illa: Sorori me reddat parem
Festivo nobis huc excipiendum (6) sono.
Ambitus honorum interdum praestat (7)
[beneficos.

ROCCI, S. J.

Notulae

(1) Subj.—(2) Turres.—(3) *De buen olfato*.—(4) *Cargos*.—(5) *Estrecha fuertemente*.—(6) *Orat. fin*.—(7) *Proporciona*.

Prof. Emmanuel Jové. C. M. F.
Moderator

Typographia F. Camps Calmet. — Tarragae

